









~~✓~~ Schwarz (GD)

2<sup>te</sup>, gldn. —

1791.

1798.

1803.

1804.

1805.

1806.

1811.

1818.

1822.

1828.

1829.

1832.

1833.

1838.

Scripta publ. Hal. 1791. 1798. 1803 - 1829.

1791. Dablow.  
Erweis, dass ein ..... verletzter Minderjähriger .....  
1798. Niemeyer.  
De interpretatione s.s. populari ..... I.
1803. Knapp.  
De dispari formula docendi .....
1804. Noesselt.  
Interpretatio grammatica loci I Joh. III, 19-22.
1805. Niemeyer.  
" orationis Paulinae Athenis in Areopago habita.
1806. Knapp.  
Quatlibe in locum ex epistola ad Romanos cap. X, 4-11.
1810. Asch.  
De virtutibus quibusdam medullae spinalis minus cognitis.
- Ihon.  
Commentatio ad edictum Theodosii regis Ostrogothorum.
- Schultze.  
Loc. poetatum Graecorum .. qui de mysteriis agunt.
- Sprengel.  
De fragmentorum, maxime secales, antiquitatibus. Anima aduersiones castrenses.
1817. Knapp.  
<sup>17</sup> Sedler  
Narratio de Justo Tona. Tagnenda Aristophanis
1822. Gesenius.  
De Samaritanorum theologia.
1827. Wegscheider.  
Philippi Melanchthonis epistolae XI. XIII.
1824. Niemeyer.  
De Evangelistarum in narrando Iesu Christi in vita reditu dissensione.
1825. Preisaufgaben.  
Sprengel. Empedoclis commenta de Protagora.
- Schütz (?). De perpetua Mariæ virginitate narratio apud Guidam  
Specimen forenum, et citationum criticarum in explicationem Palamonus  
et inscriptione phoenicio-græca in Cyproniae insula separata.
1827. Pernice.  
Observationes de principiis 1806 subiectorum juris privati ratione.
1828. " Quaestionum de jure publico Germanico p. I. (nō in parte probata)
- Fritzsche.  
Observationes ad Math. V, 29. 30. 39.
1829. Nitzsch.  
Observationes de avium arteria carotide communi. o. gr.

49

D.

Dap  
ne  
ei  
3  
ni  
br  
de  
au

gur

be

ACADEMIAE REGIAE FRIDERICIANAE

P R O R E C T O R

JOANNES CHRISTOPH. KRAVSE,

PHILOSOPHIAE PROFESSOR P V B L I C V S ORDINARIUS,

A L V M N O R V M M A G D E B U R G I C O R V M E P H O R V S,

C V M

DIRECTORE ET SENATV ACADEMICO

PIAM ET RELIGIOSAM

NATALIS I E S V C H R I S T I

CELEBRATIONEM INDICIT.

*Niemeyer*

PRAEMISSA EST BREVIS COMMENTATIONIS

DE INTERPRETATIONE S. S. POPVLARI,  
CERTIS REGVLIS ADSTRINGENDA, NON ARBITRARIA,

P A R S P R I O R.

HALAE,

F O R M I S I . C . H E N D E L I I .

M D C C L X X X X V I I I .

SCIENTIAE HIGERIS LIBRARICIANAE

PER LIBRARIOS

LIBRI CRITICII KRAE

THEATRUM LIBRARUM ET LIBRARIORUM  
ACADEMICOV MUNICIPIV ET UNIVERSITATIV

EDITIONIS DE BIBLIOTECAS ACADEMICO

ET LIBRARIS MUNICIPIV ET UNIVERSITATIV

ITINERARIO LIBRARICO

PER LIBRARIA ET LIBRARIA

LIBRARIA

LIBRARIA ET LIBRARIA

BALDUS CAMPICIO, 1540. LIBER ET LIBRARIUS IN LIBRARIIS IN ANTEPARTIMENTO  
SACRAE RHETORICAE. SCULP. INSTITUT. ET LIBR. IN LIBRARIIS. ET LIBR. IN LIBRARIIS.

II.

**S**ermonum, qui ad populum de rebus ad religionem et mores spectantibus habentur, duplex est genus; alterum artis rhetoricae praecettis adstrictum, alterum ab omni artificio rhetorico alienum. In utroque genere, ex more antiquo, eoque multis nominibus commendabili, tractationi substernitur pericopa sacrae Scripturae — *textum* appellare solent — in qua tam interpretanda, quam ad usus auditorum accommodanda sacri versatur oratoris diligentia. Versari autem potest dupliciter; vel ita, ut locum aliquem communem (*synthesin*) decerpatur, in eumque commentetur; vel ita, ut singulas singulorum textuum vel partes, vel sententias, diligenter (*analytice*) excutiat, et quid in iis insit ad instituendos, cohortandos, commovendos auditores, uberioris declarat. Qui primam sequuntur rationem, *orationem sacram*, (*eine Predigt*) qui postremam *Homiliam* (*eine Homilie*) habere dicuntur. Utrisque communis est S. S. interpretatio, eaque non erudita sed popularis et practica.

Ex usu loquendi veterum christianorum, nomen *Homiliae* (*Oui-  
alia*) — tractatum, sermonem dixerunt *Latinis* — ad omnes omnino  
orationes de rebus sacris ad populum habitas referri, notissimum  
est. Hinc rhetorica sacra, *Homiletices* nomine insignita, utrumque  
sermonum genus complectetur. Non nisi recentioribus temporibus  
invaluit mos, qui *Homilia*, hoc est populariter interpretationem Scri-  
pturae et practicam, ab *orationibus* seiuinxit. vid. SVICERI thesa-  
rum ecclesiasticum sub voc. *Homilia*.

II.

Postrema populum, hoc est rudiores, imperitos, illiteratos  
docendi ratio, etsi post adornatas a viris doctis Sacrae rhetoricae  
Institutiones, editasque in lucem innumeratas orationes, ad exem-  
plum celeberrimorum antiquitatis oratorum compositas, in con-  
temptum sere tractat, tantum non omnino neglecta iacit; nihil  
tamen

A 2

4

tamen minus proprias sibi vindicat virtutes, quas, si quis primario, quod in institutione populari spectari debet, consilio, comparaverit, dubius haerere possit, sitne alteri ab omni parte praeserenda. Neque latuerunt istae virtutes viros cuiusque aevi de re ecclesiastica optime meritos, in quibus unum instar omnium in memoriam lectorum revocare lubet, i. i. SPENERVM, Theologum eximium, qui inter alia multa, quae ab eo docte, accurate et pie de Sacrae Scripturae usu disputata sunt, etiam admodum honoriseam tuit de analytico concionandi genere sententiam<sup>a)</sup>. Movit etiam non paucos, vel pendentibus ex eius ore discipulos, vel Scholae eius auctor extitit, addictos. Viri auctoritas, ut diu vestigiis eius insisterent, parumque curarent adversariorum voces, tenue contionandi genus alto dispiciens supercilium. Sequenti vero tempore hanc consuetudinem obsolevisse, et vix vicanorum coetuum attentione dignam existimatam esse, non mirabuntur, quos non fugit, quantam in ecclesia Protestantium per totam ferre Germaniam nacti sint auctoritatem, Rhetoricae Sacrae, praecipores, ab ista docendi simplicitate alienissimi b).

- a) Extat locus in Consil. theol. P. III. p. 164. „Qaam vellem rem plane eo adiagi, ut adeo nullas conciones vel admodum raras illo consueto oratorio edificio habemus; sermones vero sacri omnes insituerentur, proposito capite vel periodo biblici, et illius explicatione tali, ut simplicissime ab uno versu ad alterum transiretur, et sensu explorato, πορευαται fidei et vita inde efficacissime et ου ναδει extraherentur. Quantum prosercetemus illa simplicitate methodi, qua omni arte caret, tanto facilius omnibus aliis etiam earit, qua artis sunt, et nobis officium nostrum aliqui difficile difficultus reddunt, auditoribus vero conciones minus faciunt intelligibiles.“
- b) Ex quo Homiletica praecepta in formam artis redacta sunt, singula sermonum sacerorum partes, pro necessariis haberi cooperunt, prece, exordium, transitus, recessus, thema, partitio, peroratio, quarum vel unam prætermittere nefas putabantur.

### III.

Novus accessit ex aliquo tempore analytico Scripturas in conventibus publicis tractandi generi, honos, post iteratas intelligentium admonitiones, vulgaribus istis concionibus, si vel artis praecipitis ex omni parte respondeant, parum effici ad erudiendos tyrones, et corrigendos hominum animos; paucissimos auditorum, ad

5

ad concipiendam mente orationem, ex schoiae legibus ordine procedentem idoneos accedere; non minorem esse virtutem, aper-te, simpliciter et populariter, quam docte, argute et subtiliter eloqui; nullam ad captum vulgi accommodatiorem esse methodum, ea, qua lectioni Scripturae succincta adiungatur paraphra-sis, singulae sententiae breviter enarrantur, et quidquid in iis in-sit doctrinæ, officii, solatii christiano coetui quam simplicissime exponatur. Neque defuerunt, qui istam rationem vel artis praeceptis includerent, vel exemplis praecirent.

In constituenda Homiliarum Theoria, nuper a pluribus elaboratum est, quorum vel nomina commendatione esse possint universo genere. Praeter multos alios, commemorasse sufficiet VELTHUSE-NIVM (im Journal f. Pred. XIV, 1) I. A. TELLERVVM (Magazin f. Pr. VI, 2.) et G. LANGIVM, qui diligentissime de Homilia exposuit in disputatione singulari, praemissa eiusdem Sermonibus Sacris (Reli-gionsvorträge und Homilien.) Lips. 1797.

Exempla præciverunt I. C. SEYFFERT, G. L. FISCHER, G. LANGE, in primisque auctor Anonymus libri qui inscribitur *Homilien, Betrachtungen und Karaktergemäldde.* Ling. 1796.

#### IV.

Tantum vero abest, ut hoc interpretationis genus, etsi non nisi ruderibus destinatum videri possit, certis carere possit, præceptis, ut potius omni modo cavendum sit, ne in hunc ipsum abripiantur errorem, qui primi accedunt ad christianorum coetuum institutio-nem. Nam facile illis fraudi esse potest, vel ipsa popularis scripturae interpretationis denominatio, quæ præceunte A. HYPE-RIO, Theologo Sec. XVI. eruditio et pietate claro inprimis, ad omnes omnino conciones translatæ est. Notio popularitatis, omninem videtur excludere doctrinam et artem. Quod si verum esset, sequeretur omnino, licet oratori sacro, omnem scriptu-ram sacram ex sua sententia interpretari, usum loquendi, sensum historicum, nexus, ordinem, consilium scriptoris nihil curare, nullos denique meditationibus piis fines constituere. Quod longe secus esse, breviter demonstrabimus.

Ex

6

Ex hoc fonte minorum quarundam in ecclesia christiana sectarum opinionem manasse, „parum referre, an sit in conventibus publicis verba facturns, doctrina imbutus, nec ne, — admittendos esse ad suggestum sacrum quibuscumque placeat, Viros, foeminas, nulli prorsus, qui internum quendam animi ardorem sentiat, facultate fratres alloquendi et instituendi interdicendum esse,“ — ex Historia ecclesiastica satis superque notum est. Eadem docet, quantam ista docendi libertas in ecclesia turbas excitaverit, quam parum certe hominum fanaticorum loquacitate coetus christiani profecerint.

V.

In omni interpretatione S. S. populari, duo spectari debent; *primum*, ut ipsum pericopae argumentum auditoribus innescat, et si quid in eo vel obscuritatis vel ambiguitatis insit, e medio tollatur; *deinde*, ut quae recte intellecta sunt, sive sint e genere didascalico, sive ad mores emendandos, sive ad tranquillandum animum faciant, in suos convertere usus adsuescant. Hinc intelligitur, primarium interpretis, non modo eruditum verum etiam popularis, officium esse, ut is Scripturae sensus, qui ex legibus hermeneuticis unice pro vero haberi potest, declaretur, nihilque pro vero isto sensu venditetur, quod idoneis confirmari argumentis non possit. Nam eo demum consilio meditationes Sacrae superstruimus Scripturae fundamento, ut, quae divina auctoritate nisi sibi persuasum habeant auditores, eadem tanto maiorem vim exerant in ipsorum animos, quippe quorum maxima pars non ratiociniis sed auctoritate ducatur. Hunc nobis proponimus finem, dum vel ea, quae aliunde satis sunt nota, e doctrina Iesu Christi tamquam purissimo fonte derivamus, ut audientibus magis magisque elucescat, quanta sit inter hanc ipsam doctrinam et sanae rationis pracepta conspiratio. Fac igitur doctorem publicum, versis Scripturae, Christi Apostolorumque effatis, intrudere sensum, ab istorum temporum cogitandi et loquendi ratione alienum, quid credimus eum esse effecturum? Fidem adiungent imperiti; ii contra, quibus contigit liberalior in religione christiana institutio, quique ad exemplum Berœensium scrutandis divinis voluminibus operam

ram impendunt indefessam, simulac intelligent, interpretem suo indulgere ingenio, locum persuasionis et fidei dubia occupabunt. Disciplinae denique christianaे cultusque publici obrectatores, iure quodam suo, concionatores sibi quidlibet fingendi, falsa pro veris venditandi vindicare potestatem, clamabunt.

VI.

Nihil itaque etiam populari Scripturae interpreti prius, nihil sit sanctius, accurata sensus literalis sive grammaticae indagatione. Diligenter circumspiciat, quae sit verborum cum antecedentibus coniunctio; quid vel facto quod narratur, vel dicto quod referatur, occasionem dederit; quo tempore, quibus personis scripsit is, cuius verba explicantur, quam vel docendi vel refutandi rationem et viam ingressus sit. Singulorum verborum vim examinet, quod ut recte fiat, omnibus quas usus loquendi tam generalis, quam S. S. proprius subministrat praesidiis instructus, ad interpretationem accedat. Neque carere potest multiplici rerum historicarum scientia, Nosse debat, que ad temporum, locorum, rituum morumque antiquorum illustrationem pertinent, quibus ignoratis interpretatio perfecta esse non potest.

Maximam omni tempori exitisse inter rationem Scripturas doce et populariter interpretandi similitudinem, facili negotio multis doceri posset exemplis. Quis miretur allegoricum concionandi genus, post illatas in Scripturam ab interpretibus infinitas allegorias? Quis imagines, quis propositiones scholasticas, post innumerous interpretum in commentariis suis ingenii lusus? Quis molestam in augendis emphasiis sedulitatem, post tot interpretum ad replenda omnia emphasiibus inanes cōnatus, adeoque habita in academiis Collegia emphasiologica. Quis philosophicam subtilitatem, post perversum philosophiae vel antiquioris vel recentioris in Hermeneutica sacra usum? Quis liberaliem et practicum Scripturae in conventibus publicis usum, post instauratum linguarum studium, et traductam e dogmaticis et polemiciis cancellis ad ampliora spatia Hermeneuticam sacram? Cf. omnino SCHVLERI Geschichte der populären Schrifterklärung. Tübing. 1787. et EIVS-DEM auctoris Geschichte der Veränderungen des Geschmacks in Predigen. Tom. I. II. III. Halae, 1792-94.

VII.

## VII.

Multa, quae hisce viis reperta sunt ad illustrandum pericopae biblicae argumentum, in ipsis ad populum orationibus exponi, et cum auditoribus communicari non posse, vix est quod moueamus. Quis hodie ferat concionatorem, quales permultos olim extitisse accepimus, qui vel graecis hebraicisque vocabulis aures obtundat, vel singulas singulorum interpretum de locis obscurioribus sententias recenseat, vel omnes Geographiae, Historiae, antiquitatum thesauros aperiat; uno verbo, vanae eruditionis affectatione inclarescere malit, quam ea unice commendare, quae, ut *Pauli Apostoli* verbis utamur, frugifera sint, πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδεῖαν εἰς διμοσσύην. Ipsum quidem populi doctorem decet rationibus duci, non auctoritate sive versionum sive interpretum; eundem etiam decet, tamquam oeconomicum prudentem, e scientiae suea penu ea potissimum deprimere, quae aliis prodesse possint. Sunt in S. S. multa obscura, multa ambigua; sunt quae dubia movere possint; sunt denique in quibus explanandis opus sit multiplici doctrina, adeoque notitiis ex ultima antiquitate ductis. Mores nostrorum hominum, a moribus eorum, quorum in libris istis mentio fit, infinito distant intervallo. In iis quoque S. S. partibus, quarum expeditior est interpretatio, occurunt, quae omnem vel historiam vel antiquitatem ignorantibus, prorsus obscura esse debeant. Afferet interpres quae omitti non possunt; sed parcus erit in eorum usu; paucis defungetur: intacta relinquet, quibus lucem affundi posse desperet; etiam sibi dictum esse putabur, quod in *Aeneonide laudat HORATIVS:*  
*Nibil molletur inepit.*

Lubet exempla quaedam adiicere e pericopis evangelicis ducta. Sic, ut a textu ordiatur, qui his ipsis diebus, quorum solennitas occasio nem dedit hinc scriptio, explicari solet, Luc. II, 1-14. paucis verbis docendum erit: CAESARIS AVGUSTI iussu, edictum promulgatum esse αὐτογόρεῳ πάσσων τὴν οἰκουμένην ut omnes Indiæ sua nomina tabulis publicis inscribenda curarent; - hoc sibi velle οὐασ. ci noui. Iudacam ut Luc. XXI, 26. cl. XX, 21. Censum per tribus fieri solitum; hinc necesse fuisse, ut quisque in patriam familie suea sec dem

dem, εἰς τὴν ἴδιαν πόλην proficisceretur, Ἱορεφύν projectum esse Pet-  
lebum, oppidulum in tribu Iudei situm, nomine πάλεως Δαβὶδ ab  
alio eiusdem nominis oppido distinctum. Isto in loco Mariam pepe-  
risse Iesum, cumque in stabulo diversoriū — sic intelligenda esse ver-  
ba (ἐν φάτῳ τοῦ καταλύματος) — reposuisse. Eodem tempore pasto-  
res in agri versatōs esse (ἀγρονολόγοι), unde pateat diem Christi  
natalem in aestatem sive autumnum incidisse. Neque dignam eius me-  
moriae celebrationem, a die aliquo singulari, animi potius indole et  
sensu pendere *cet.* — Contra ineptū esset, et ab omni popularis in-  
terpretationis consilio alienum, si quis multus esse velit, in expli-  
candis variis apud Romanos *Census* generibus; indagandis caussis, qua-  
re nullus Historiae Augustae scriptorum, census a Luca commemorati  
mentionem fecerit; in componentis Interpretum itib⁹, de P. Sulpicio  
Quirino, post *Sentium Saturninum*, et *Quintum Varum* Syriacē  
dēnum praeſide, sensuque verborum, si historiam conferas, admō-  
dum difficulti, αὐτὸν οὐ περιγραφή περών; — in constituenda Mariae ge-  
nealogia; — in examinanda patrum quorundam graecorum sententia,  
Christum in spelunca quadam pastoritia, natum esse; — in definiendo  
Christi natali; — in modo apparitionis angelorum, similibusque que-  
stionibus, quae eruditorum Commentariis relinquendae sunt. — Sic, ut  
aliis exemplis utamur, Marc. II, 4. monendi quidem sunt auditores de-  
tectorum in orientis regionibus indole, et transitus ex uno tecto ad al-  
terum facilitate, quo intelligent, quomodo aegrotus demitti potuerit.  
Ioh. II, 6. breviter illustrandus erit ναθαρίους τῶν λευθαιῶν ex more  
ipſorum, purgandi manus, ante quam caperetur cibus. Sed caveat  
sibi populi doctor, ne nimius sit in ipsis minutis, tempusque graviori-  
bus surripiat. In primis cautus sit in explicandis parabolis et apologis,  
ne iis, quae non nisi exortationis causa adjecta sunt, sensum mora-  
lem adſingendo, inanem operam perdant.

## VIII.

Iam si verum est, quod sumi posse credimus, etiam in in-  
stitutione populari non recedendum esse a sensu literali, h. e. eo,  
quem scriptor suis verbis inesse voluerit, sequitur, non nisi textus  
eligendos esse eos, quorum argumentum ad leges grammaticae in-  
terpretationis expositum, etiamnum idoneum sit ad promovendam  
christianorum hominum de rebus ad religionem spectantibus cogni-  
tionem, et excitandum in animis virtutis amore. In quo dolen-  
B dum

dum est, consentiente, quem supra laudavimus, SPENER O\*), inter ea Scripturae loca, quae quotannis diebus festis et dominicis pro concione explicari solent, et propter hanc caussam maximam apud populum nacta sunt auctoritatem, non pauca esse, reliquis ab hac parte inferiora, adeoque vel propter argumenti sterilitatem, vel verborum obscuritatem, vel imaginum insolentiam, ab institutione rudiorum, si fieri possit prorsus excludenda. Sed cum plerisque, qui munere ecclesiastico funguntur, liberum sit, pedem proferre ex isto evangeliorum et epistolarum, quas dicunt, cyclo, modo id faciant prudenter et verecunde, tam amplius meditationibus in S. S. aperitur campus, ut mirandum sit, hic ibi eas occupari partes, in quibus parum insit vel ad institutionem vel ad disciplinam viiae. Innumerae orationes sacrae, quantam habituera fuissent ad imbuendos auditores liberaliori religionis cognitione utilitatem, quantam ad instillandum animis pietatis amorem, nisi oratoris sacri, vel inani nova quamvis meliora moliendi timore, vel turpi ignavia ducti, circa thematum sexcenties tractatorum vilem, ut cum poeta loquamus, patulunque morati essent orbem.

\* „Wie herzlich wünschte ich, daß wir in unsrer Kirche nie den Gebranch der Pericoparum evangelicarum angenommen, sondern entweder eine freye Wahl gelassen, oder die Epistolas statt der Evangelien zu Haupttexten genommen haetten. Indem einmal nicht zu leugnen steht, daß, wenn man die Hauptsachen, so wir in dem Christenthum zu treiben haben, vortragen will, uns die evangelischen Texte sehr wenig Anlaß geben, sondern es muß das alles nur bey Gelegenheit eingeschoben, ja oft mit den Haaren herbegezogen werden.“ *Theol. Bedenk.* T. III, p. 128. Haec exeunte Saeculo XVII scriptis SPENERVS. Parum ecclesiae profuit Viri gravissimi admonitioni. Per tinaciter veteri adhaerescimus consuetudini. In explicandis et si Deo placet allegorizandis minoris momenti historiis, et resolvendis textuum, obscuritate sua celebrium (eruces concionatorum appellere solent) difficultatibus, tempus perditur; praestantissimae sermonum Christi, Scriptorumque Apostolicorum partes, vix populo innotescunt.

## IX.

Paulo alia ratio est eiusmodi locorum, quae, si ex versione LUTHERI aestimentur, in primis apti videantur ad doctrinam aliquam,

quam, sive legem moralem illustrandam et confirmandam; ubi vero recurrat interpres ad fontem hebraicum aut graecum, facile intelligat, scriptoris menti omnia potius alia obversata fuisse, quam id, quod versio vernacula exprimat. Iam cum auditores nulla linguarum originalium scientia imbuti, versionem unice sequantur, quid queso nocebit, si vel falsa interpretatione ducti, de veritate alicuius doctrinae, de gravitate alicuius officii, de certitudine alicuius promissionis divinae certiores facti, nova inde cognitionis, virtutis, tranquillitatis incrementa ceperint? Quae, etsi non sine veritatis specie dicantur, nolimus tamen arripi a publicis rudiorum doctoribus. *Primum* enim verendum est, ne ista venia si concedatur, probeturque usus Scripturarum sacrarum, popularis ille quidem et practicus, sed ab omni doctrina alienus, ianna aperiatur inscias linguarum, omninoque solidioris doctrinae theologicae contemtui. *Deinde* interpretatione grammatica unice caveri potest, ne quidquid in Scriptura traditur, incertis accommodetur opinionibus et cuiuscumque Philosophiae decretis. Ex hoc nimur fonte, plurimum incommodi in interpretatione sacrorum librorum natum esse, historia testatur. *Accedit*, eum, qui verba facit ad populum, verumque textus sensum parum curat, facile apud erectoris ingenii auditores incidere posse in suspicionem vel ignorantiae, vel levitatis \*). Denique nihil opus est veri sensus dissimulatione, cum nullus sit, neque doctrinae neque disciplinae christiana locus, qui claris certisque scripturae testimoniis, argumentisque textus originalis fundamento superstructis, confirmari non possit \*\*).

\*) Consentit *Philalethes Eridaron*, anonymous *Observationum ad moralem sive practicam L. 5.* interpretationem scriptor exliuus. „*Doctos, inquit, et rei peritos,* numquam foller practici interpretis calliditas. *Sed nec indoctae et imperitae multitudini eius studia diu latebunt.* Quo enim opusiorem artem practici interpretis partes interdum requirent — eo magis naturalis veri sensus, cuius saepe est admirabilis quedam in vulgo subtilitas offendetur, quippe nesciens ingeniosas has et intriciosas compositas explicaciones cum verborum simplicitate conciliare, eoque certius et citius diffidentia et fraudis cuiusdam suspicio dubios plebis animos occupabit. *et p. 74.*

\*\*) Non incomoda, immo si recte intelligatur verissima est sententia „*amorem erga Christum, qui a strenuo virtutis praceptorum exercito seiungi non potest.*

est, quavis praestare eruditio aut sapientia. Inest secundum versionem LUTHERI in loco Eph. III, 19. *Christum habet ist besser denn alles Wissen.*) Sed obstat huic interpretationi cum usus loquendi, tum nexus verborum et universi loci consilium. Λαύρα τοῦ χριστοῦ non est amor erga Christum, sed Christi in homines benivolentia. Describitur tamquam ὑπεράλλοντα τὸν φίλον h. e. omni cogitatione humana superior, adeoque innata, quod tropice exprimitur per antecedentia τοῦ πάτερος, καὶ μάνος, καὶ βασιλεῖος, καὶ ὁμοιοῦ, quae ad nostrum in Christum amorem transferri nullo modo possunt.

Adhiberi solent in tractando loco de emendationis animi humani *procrastinatione* eiusque periculo, verba Pauli Apostoli Ebr. XII, 17 et exemplum Esavici, qui μετανοοῦσιν σὺν τῷ πάτερι διαχωρίσθησαν. Reсте quidem si unum LUTHERVM sequeremur. Verterat enim „Ex fano nicht Rauenzar Busse, wieviel er sie mit Thüimen suchte. Sed inspicie texum. Quid perēvōna? Mutatio mentis Esavi? Nullo modo! Esavus Isaci mentem mutare, lacrymis suis reficeret detrimentum sibi levitatem sua illatum, non potuit. Utitur Apostolus exempla in eos, qui voluptatum commodorumque terrenorum amore duci, religionis disciplinam, tamquam nimis severam, suisque cupiditatibus adversariam, temere deserentes, similes erant Esav, unus equilibrii voluptate allēcto, iure primogenitura semet ipsum privante. Eadem vi etiamnam ad nostros homines adhiberi potest. Ad locum de emendationis procrastinatione illustrandum, rebus afferentur loca.

## X.

Sed nimis angustus interpretem S. popularem includere videmur cancellis. Quod si enim ei in tractando aliquo loco nihil affiri licet, præter id, quod grammatica verborum explicatio suppeditet, verendum est, ne uberrimo quem ex librorum sacrorum lectione percipere posset, fructu preventum auditores. Quod quasin omnium sit a sententiis nostris, clerus fieri per ea, quae in sequentibus de morali et practico Scripturae una, non quidem arbitrario sed certis regulis adstringendo, uberiori a nobis dispubuntur. Quae quidem cum longiorem tractationem desiderant, præsertim cum artissime cohaerent cum ea, quae nuper admodum a viris doctis ventilata est de morali S. interpretatione questione, proximae reservamus opportunitati; hoc unum additum, populi doctori grammatici quidem interpretis personam numquam extundam, sed præter eam aliam personam inducandam esse, prudenter nimium pacagogi, omnibus ad edocendos, corrigendos, tranquillanos tam imperitos quam peritos, præsiditis instruendis.

Iam ad vos, CIVES, nostra se convertit oraio. Redeunt dies, quibus, ut natalis Domini nostri Iesu Christi celebratur, atque in Ipsius honorem supplications pio solemnique rito fierent, antiquitus cautum sancitumque est. Oblata Vobis ad excitandos in animis Vestris, exempli et beneficiorum Christi meditatione, pietatis virtutis que sensus opportunitate, diligenter utramini. Variorum rerum earumque utilissimum cognoscendarum causa hac confluxistis. Cavete, ne, quod caput est ad sapientum et ad bene beataque vivendum, a Vobis negligi appareat,

P. P. d. xxiv. Dec. MDCCXCVIII.









Ser. publ.

Halle

1791 + 1798.

1803 - 1829

f



3

TA → OL

b 18



ACADEMIAE REGIAE FRIDERICIANAE

P R O R E C T O R

JOANNES CHRISTOPH. KRAVSE,

PHILOSOPHIAE PROFESSOR PUBLICVS ORDINARIVS,

ALVMNORVM MAGDEBURGICORVM EPHORVS,

C V M

IV ACADEMICO

OSAM

CHRISTI

NDICIT.

MENTATIONIS

S. S. POPVLARI,  
A, NON ARBITRARIA,

O. R.

N D E L F I

I.

